

ANNUENTIE S. S. TRIADE 2 H

THESES 14 H

DE

# MANDATO

Indultu & Auctoritate Magnifici atqve Nobilissimi  
Jctorum Ordinis in Celeberrima Lipsiensi  
Academia.

P R E S I D E

V I R O

*Nobilissimo atqve Consultissimo*

DN. PAULO FRANCISCO ROMANO

J. U. D.

*Patrono ac Præceptore suo atatem devenerando*

ad D. 28. Septembr.

ANNO M. DC. LXVI.

H. L. Q. C.

P. P.

AUTOR RESPONDENS

A D A M U S Schweizer

L I P S I E N S.

L I P S I Æ

Excudebat TIMOTHEUS RITZSCHUS.

V I R O  
*Magnifico, Nobilissimo, Excellentissimo atque  
Consultissimo*

D O M I N O

CHRISTOPHORO PINCKERO,  
Jurium Consulto famigera-  
tissimo, Sereniss. ac Potentiss. Saxoniae Electoris  
in supremo Appellationum Judicio Consiliario emi-  
nentissimo, Scabinatus, qui Lipsiae est, Assessori  
gravissimo atque Urbis patriae Consuli  
meritissimo,

*Patrono, Promotori ac Mæcenati suo Opt. Maximo*

Primitias hæc suas in Jurisprudencia.

*Debitâ submissione in sui commendationem offert,  
ac sacræ esse jubet*

sale litans qui thure non potest

*Tanti Viri*

*humillimus Cultor atque devotus servitor*

ADAMUS Schweiger. Lipsiens.

Feliciter!

THESIS I.

**M**ANDATUM ab Imperatore nostro Justiniano expresse inter Contractus refertur, in *vic. f. de Oblig. ex Consens.* id quod etiam colligitur *ex l. 32. ff. b. t. l. 2. de O. & A. l. 23. ff. de Reg. Jur.* Merito itaque rejiciuntur eorum opiniones, qui Genus Mandati ponunt Officium, de quibus Mozz. in *Tract. de Contract. vic. de Mandat. in pr. n. 6. 7. & seqq.*

II.

Est autem Contractus Nominatus, juxta receptissima Juris Gentium & Civilis principia. Male itaque dissentit Stephan. de S. Gregor. *de princip. Jur. & justit. partib. l. 2. c. 83. n. 4.* qui Mandatum reducendum esse ad Contractus Innominatos statuit. Nullus enim Contractus innominatus solo Consensu perficitur, sicut Mandatum, sed requirit ipsius rei interventionem *l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 5. pr. §. 1. & seqq. ff. de prescr. verb.* Deinde Mandatum etiam in Jure certum nomen ac formam habere constat *ex d. t. f. de Oblig. ex Cons. & arg. l. 7. pr. & §. 1. ff. de Pact. §. 3. l. de Jure N. G. & C. l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.* Neque magis toleranda est Giphanii sententia, quum Mandatum sicut & reliquos Contractus consensuales nudum pactum esse dicit; de quo legitur apud Dn. Ungepaar. *Exerc. XII. qu. 1. Nego in f.* qui etiam sufficienter respondet.

III.

Recte Mandatum dicitur Contractus Consensualis.

A 2

lis

ius, cum præter contentum tanquam Causam Efficien-  
tem ad sui perfectionem & substantiam nihil quicquam  
desideret, l. 1. pr. ff. mandac. pr. Inst. de Obl. ex Conf. l. 2. ff. de  
O. & A. Ad cuius consensus declarationem non refertur  
quibus verbis quis utatur l. 1. §. 2. l. 59. §. 5. ff. h. t. modo  
talita sint, ut Voluntatem Mandantis exprimant, & ex  
iis appareat ipsum mandare alicui negotium gerendum  
voluisse.

#### IV.

Exprimitur Mandatum vel Consensu Expresso,  
tam inter præsentem, quam inter absentes per Nuncium,  
aut Epistolam d. r. Inst. de Obl. ex Conf. l. 2. ff. de Pact. l. 4. ff.  
pro soc. l. 1. §. 1. ff. h. t. & ibi Gloss. vel Tacito, qui colligitur  
ex præsentia & taciturnitate Domini patientis res suas  
ab alio administrari. l. 6. §. 2. l. 18. ff. h. t. l. 6. C. eod. l. 60. ff.  
de R. J. Vid. Dn. Struv. Synec. Jur. Civ. Exercit. XXII. th. 2.  
Hilliger in Donell. Enucleat. l. 13. c. 10. lit. D. Ant. Perez.  
prælect. in Cod. h. t. n. 2. Ludwell. Disp. XV. ad Inst. th. 3. lit. b.  
Mozz. Traæt. de Contr. cap. de Divis. Mand. n. 70.

#### V.

Ne autem Mandatum, quum tacite contrahitur, in  
quasi Contractum degeneret, nonnulli gradus taciti Con-  
sensus fingunt, unumque quasi contractibus attribuunt,  
alterum vero à veris Contractibus non alienum esse con-  
tendunt, de quibus legatur Wisenbach. D. 17. ad ff. th. 2.  
sed tali distinctione non opus est. Neque enim verum  
est, quasi Contractus ex tacito Consensu constare, sed ex  
præsumtione. Aliud autem est quasi Contractus, aliud Ta-  
citus. Ille opponitur Vero, hic Expresso,

#### VI.

Diximus Mandatum etiam fieri per Epistolam, non  
verò Commendatoriam, Nullam enim Mandati vim ha-  
bet.

bet verbum Commendo. l. 12. §. 12. ff. h. l. ult. C. quod cum eo, qui in al. &c. & is, qui simpliciter amicum commendat, non obligatur, licet quid in eum propter commendationem istam collatum fuerit, Vinn. Comment. ad Inst. h. tit. in pr. Nemo enim per nudam verborum Commendationem se obligare sive adstringere dicitur. l. 43. pr. ff. de Contract. Em. l. 37. ff. de dol. mal. l. 19. ff. de Edil. Ed. Wesenb. h. n. 6. in paratit. Magnif. Dn. Carpz. Dicit. P. II. d. 126. n. 3. & seqq.

### VII.

Neque ad Mandati obligationem contrahendam sufficiens estimatur Adhortatio. §. 6. l. h. t. neque Consilium l. 2. §. f. ff. eod. de quo infra. An verò & quatenus Literæ Credentiæ in alterius favorem scriptæ, scribentem obligent, vide apud Schneid. ad Inst. pr. h. r. n. 6. & seqq. aliosq. plures.

### VIII.

Cum verò Mandatum solò Consensu consistat, non immeritò quæritur, an utriusq. Contrahentium Consensus necessariò requiratur? Et affirmativam amplector, arg. l. 6. §. 1. ff. h. Wesenb. Paratit. h. n. 4. Mandatum enim unò rogante, atq. alterò recipiente perficitur. Vinn. Comm. ad Inst. h. r. pr. & consequenter consistit in rogatione & receptione add. Hilliger. in Donell. Enucl. libr. XIII. c. 10. lit. A. quarum alterâ deficiente, supervacaneum erit Mandatum.

### IX.

Facti illiciti vel rei turpis Mandatum nullam parit obligationem inter Mandantem & Mandatorium, arg. §. 7. l. h. r. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. l. 12. §. 11. ff. eod. adeò, ut tale Mandatum ne juramentò quidem robur accipiat, c. non est obligatorium de Reg. Jur. in Gro. quia ad impossibilia nemo obligatur. Turpes verò vel illicitæ res sunt impossibiles, non

quidem natura, sed jure & Legis i. 15. ff. de conat. injur.  
Nihilominus & Mandans & Mandatarius tenetur ei, in  
cujus præjudicium Mandatum tale tendit. Magnif. Dn.  
Carpzov. *Pract. Crim. P. 1. q. 4. n. 13.*

X.

Quodsi tale Mandatum rei inhonestæ & illicitæ ex-  
sequatur Mandatarius, non tantum ipse, sed etiam Man-  
dans ei, qui exinde læsus est, tenetur, non quidem actione  
Mandati, sed ex delicto, & uterque unam eandemque  
poenam subit, l. 7. §. f. ff. de Jurid. l. 1. §. 1. ff. de eo per quem  
factum & c. l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 15. §. 1. ff. ad l. Corn. de Sicar.  
Harpr. ad §. 7. *Inst. h. t. n. 9.* nisi Mandatarius careat dolo,  
quo in casu imperitia excusatur. all. 11. Et sic Mandator cæ-  
dis non minus ac Mandatarius pro homicida habetur,  
juxta d. l. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar. & Wesenb. in *para-  
sit. ff. eod. n. 13.* ibid. Dn. Hahn. *Observation.* siqve Mandatarius  
gladio plectendus est, utique & Mandans eadem  
poenâ erit afficiendus, Carpz. *Def. Forens. P. II. c. 14. d. 6.*

XI.

Mandatum, nisi gratuitum, nullum est. Nam ori-  
ginem ex officio atque amicitia trahit. l. 1. §. f. ff. h. t. Cic.  
in *orat. pro Sexto Rosc.* & si aliquid pro negotii mandati  
expeditione datum aut promissum fuit, non amplius erit  
Mandatum, sed in aliud genus contractus e. g. Locatio-  
nis Conductionis aut Contractus innominati degenera-  
bit, ut expressè Justinianus in §. f. *I. h. d. l. 1. §. f. l. 6. §. ult.*  
l. 36. §. 1. ff. eod. l. 22. ff. de *prescript. verb.* Nihilominus ta-  
men honorarium seu remuneratio intervenire potest. l. 6.  
pr. ff. h. per illam enim operæ præstitæ non fit æstimatio  
& quasi compensatio, ut in locatione, sed potius grati-  
animi significatio, quâ de causâ Contractus Mandati non  
viola-



violatur vel tollitur. *d. l. 6. pr. l. 7. l. 10. S. ult. l. 12. pr. ff. h. l. 13. §. 9. C. de Jud.*

## XII.

Committitur Mandatario negotium gerendum, non gestum. Præterita enim frustra mandantur *l. 12. §. 1. ff. h. r. qv*od si consensus Domini post negotium gestum accedat, Ratihabitio illud appellatur. Perinde tamen habetur, ac si mandatum ab initio intervenisset. *l. 12. §. ult. ff. de solut. l. 60. de R. f. l. 56. ff. de Jud. l. f. C. ad Sc. Maced. c. 10. de R. f. in 610.* Nam & actionem Mandati inter gestorem & Dominum, qui ratum habuit, parit atqve producit. *d. l. 60. de R. f. l. 56. ff. de Jud. add. Pacius C. II. qv. 53. Leg. Concil. Ludw. Exerc. XIV. th. 3. lit. E. Struv. Syn. f. C. Exerc. XXII. th. 5.*

## XIII.

Dividunt nonnulli cum Weseñbecio Mandatum in Voluntarium & Coactum sive Necessarium. Est autem iis Necessarium Mandatum v. g. præceptum sive jussus Principis & Magistratus, de qvo *l. 2. C. de Mand. Princ. & Nov. 17. l. 3. l. 19. ff. de Off. pras. l. 131. in f. ff. de V. S. item Parentum & Dominorum. l. 1. & l. 2. qv*od jussu. Verum posterius minus rectè Mandatum dicitur. Præceptum enim Principis vel Magistratus, nec non Parentum & Dominorum, statim ab initio est necessitatis, jussui enim statim parere cogimur. *l. non videntur 167. §. qui jussu 1. ff. de R. f.* Mandatum verò propriè sic dictum ex postfacto demum fit necessitatis. *l. 22. §. f. ff. h. r. cum nempe à Mandatario jam susceptum est, ab initio autem liberæ voluntatis fuit, dum ibi cuiqve liberum est, negotium aliquod gerendum suscipere, vel recusare. l. 4. C. de Obl. & Act.*

## XIV.

Ab Objecto dividitur Mandatum in Generale;  
qvan-

quando alicui in genere omnium bonorum administratio committitur, l. 58. & seq. l. 63. ff. de procur. l. 6. §. 6. b. l. 25. §. 1. in f. de minor. l. 12. ff. de Pact. Et speciale, quando certares vel negotium gerendum demandatur l. 12. §. 7. ff. b. l. 17. §. 6. ff. de injur. Sæpius autem inveniuntur casus, in quibus Generale non sufficit, sed requiritur speciale, e.g. in petitione restitutionis in integrum, in Transactione, causâ compromissi, juramenti delatione & præstatione, & per pluribus aliis, de quibus superflue tradit Mozzius Tr. de Contr. tit. de Mandato. c. de Divis. mand. n. 11. & seqq.

#### X V.

Ratione Finis Mandatum contrahitur quinque modis, quos vide in §. 1. & seqq. Inst. h. t. l. 2. ff. eod. (quibus recte adjici sextum, quando nempe trium personarum gratia Mandatum interveniat, putat Vinnius in Comm. Inst. §. 3. h. t.) Inrer eos autem difficultate minimè caret tertius imprimis, an nempe recte fiat Mandatum aliena tantùm gratia, dum Mandantis non interest, ut tertii negotia gerantur. Est autem explorati Juris, nemini actionem competere, nisi ei, cujus interest. l. 32. ff. locat. §. 18. l. de mut. stip. add. l. 8. §. 6. ff. b. ubi expressè Ulpianus; Actionem mandati tunc competere, cum cœpit interesse ejus, qui mandavit. Verùm distinguendum hic erit, an simpliciter nihil intersit Mandantis, & nulla ipsi actio competet. d. l. 8. §. 6. ff. mand. an verò ex post facto aliquid emolumenti ex ista gestione in ipsum redundare possit, & isto casu actio contra eum datur. arg. l. 28. ff. de Neg. Gest. l. 6. §. 4. in f. vid. Hahn, Observ. ad Weserb. n. 7. h. t. Frantzk, Comment. in ff. n. 41. & n. 49. h. t.

#### X V I.

Mandatum solius Mandatarii gratia interpositum, supervacaneum est & sine Effectu contrahitur, cum neque

que actionem neque obligationem inter contrahentes  
pariat §. 6. *Inst. h. e. l. 2. pr. ff. eod.* Est enim Consilium ma-  
gis quam Mandatum adeoque minimè obligatorium. *d.*  
*§. 6. l. h. l. 2. §. f. l. 6. §. 5. ff. h. l. 47. ff. de R. J. e. nullus 62. do*  
*Reg. Jur. in 6to. Magn. Carpz. in Decis. P. II. d. 126. n. 3. We-*  
*senbec. paratiel. ff. h. n. 6.*

### XVII.

Diximus ex Consilio neminem obligari, puta si do-  
lus absit. Aliud obtinet primò in Consiliis fraudulentis,  
ubi dolus & calliditas intervenit, quæ omninò obligant,  
& licet fortè non actione Mandati, tamen de dolo, vel  
alià sæpe quis tenetur, *l. 47. ff. de R. J. l. 31. ff. de dolo malo*  
*l. 2. in f. ff. de proxen.* Deinde etiam, quando Consilium  
tale est, in quo termini simplicis Consilii exceduntur, re-  
ctè Consultor tenetur ei, qui damnum ex isto sensit, &  
quidem actione Mandati, modò probare possit is, qui  
consilium accepit, quòd principaliter personam Consul-  
toris respexerit, nec absque ejus consilio fuisset facturus  
id quod fecit. Id quod etiam expressè Ulpianus in *l. 6. §.*  
*5. ff. mandati* affirmat. Vinn. *ad Inst. §. 6. n. 2. 3. h. e.* Struv.  
*Synr. J. C. h. e. n. 8.*

### XVIII.

Mandari possunt res Futuræ, Honestæ & Licitæ, de  
quibus supra *h. 9. 10. 12.* Quæritur nunc, an etiam de re,  
incertâ valeat Mandatum? Et respondemus distinguen-  
do cum Salycet. *in l. 3. §. 1. h. e. n. 2.* An res & pretium si-  
mul incertum sit, & erit inutile Mandatum. *l. 37. h. e. l.*  
*61. §. 5. ff. de fure,* an verò saltem res certa, & pretium seu  
quantitas incerta, atque hòc casu mandatum valet, *arg.*  
*l. 3. §. 1. 2. l. 4. ff. h. e.* tandem ubi res incerta, pretium ve-  
rò certum, Mandatum itidem subsistit per ea, quæ habet.  
Salycet. *id.*

B

xix, Man-

XIX.

Mandare & Mandatum suscipere possunt omnes, qui non prohibentur vel Naturâ vel Lege. Inter eas personas, quæ Lege prohibentur, imprimis de Deportato controversi solet, an ipsi liceat mandare? Nos affirmando rem expeditimus per *l. si mandavero 22. §. Is cuius. 5. ff. h. t.* Ubi is cuius bona sunt publicata, mandare potest, & actione mandati acquirit, ex ratione, quod quicquid post publicata bona acquiritur, non sequatur fiscum. Neque hic textus accipiendus est de Relegato, ut quidam Interpretum cum Gothofredo volunt, siquid relegati bona minimè publicantur, sed is ea sibi reservat. *l. i. l. relegatus 18. ff. de interd. & relegat.* sed de Deportato. Facit huc etiam, quod Deportatus retineat ea, quæ sunt Juris Gentium *l. deportatus is ff. de interd. & relegat. l. sunt quidam 17. §. 1. ff. de pen. l. 7. §. ult. de bon. damnat.* ad quæ spectat etiam Mandatum. *arg. l. 5. ff. de J. & J.* ubi omnes obligationes, exceptis paucis quibusdam qui à Jure Civili demum introducti sunt, Juris Gentium esse dicuntur.

XX.

Neque mulieri jus mandandi denegandum esse videtur *l. 10. §. 6. ff. h. t. l. 1. §. 3. l. 37. §. 1. l. 48. ff. de Neg. Gest. l. 41. ff. de Procur. l. 4. 5. & 9. C. de his qui accus. non poss. ie. l. 3. §. 2. ff. de liber. causa & l. 1. §. 1. ff. de appell. recipiend. nisi tortè causam alienam tractet, arg. l. 60. §. 1. ff. h. t.* tunc enim irritum fit Mandatum propter SCrum Vellejanum *l. 7. ff. ad SCrum Vellej.*

XXI.

Eòdem modò nusquam prohibetur suscipere Mandatum Mulier per *l. 7. §. 1. de instit. act. l. 3. ff. de Neg. G. & l. 10. §. 6. ff. mand.* modò tale sit, quod personæ ipsius conveniat, nec contineat virile officium, à quo in universum.

sum removeretur, l. 2. ff. de R. Jur. l. i. & 2. ff. ad Sc. Vellej.  
unde alieno nomine litem exercere nequit. l. 18. Cod. de  
Procur.

### XXII.

Servus mandare prohibetur in totum, non quidem  
naturâ, sed Lege per l. 6. & 7. C. de Judic. l. servum 33. in pr. ff.  
de Procur. nullam enim in iudicio legitimam personam  
standi habet, l. cum prator. 12. §. 2. ff. de Judic. Facit huc etiam  
l. quod atinet. 32. ff. de R. J. secundum quam servi Jure  
Civili pro nullis habendi sunt. Quodsi tamen servus  
de statu suo litiget, rectè mandat, d. l. servum 33. ff. de pro-  
cur. idem dicendum de negotiis peculiaribus, ita tamen,  
ut Domino & in Dominum actio propriè dari debeat,  
l. servum 33. in pr. ff. de procurat. add. l. si vero 12. §. planè 3. ff. h. r.  
Loes. h. e. n. 5.

### XXIII.

Mandatarium negotium sibi demandatum rursus al-  
teri demandare & subdelegare posse, constat ex l. 8. §. 3.  
ff. h. l. 28. ff. de Neg. Gest. l. si ego 6. ff. quod vi aut clam. l. 13. C. de  
contr. stipul. Hoc autem verum saltem est in Mandatario  
extra judiciali l. i. §. 5. ff. de exercit. act. non verò Judiciali  
sive Procuratore, nisi litem jam contestatus, atque adeò  
ipsum Dominus factus fuerit, l. ii. in f. Cod. de Procur. c. i. §.  
licet, de Procur. in 6to. l. nulla dubitatio. 23. C. eod. Hodie in  
iudiciis Procurator alium substituere non potest, nisi po-  
testas substituendi expressè ipsi à Domino fuerit concessa.  
Magn. Carpzov, Proc. r. 5. art. 5. n. 6. & ex eo Dn. Struv.  
Synr. Jur. Civ. h. r. n. 4. in f.

### XXIV.

Mandatarius non tantùm de dolo & lata culpa te-  
netur, sed etiam de levi. l. 8. §. ult. ff. mand. l. ii. C. eod. l. 23.  
ff. de R. J. imò etiam de levissima l. 13. l. 21. C. h. r. ratio est,

B 2

quia

quia Mandatarius alienum negotium sponte suscipiendo, tacite videtur promittere, se summam in negotio gerendo operam & diligentiam adhibiturum esse, cum sciat, aliena negotia non nisi exacto officio recte geri posse. *d. l. 21. C. mand.* Imò contra bonam fidem facit, qui in amici negotio, quod gerendum suscepit, ulla ratione negligens existit. Facit huc etiam *l. 24. C. de Usur.* ibi: qui negotia gessit, omnem diligentiam præstare debet. vide. Hahn. *in not. ad Wesenb. h. r. n. 10.* Vinn. *ad Inst. h. r. §. 5. n. 2. Id. l. 2. quæst. select. 52.* Schot *Exam. Jurid. h. r. Perez. in Cod. tit. Mand. n. 9.* Dissentit Zœf. *in Comm. ff. n. 15. h. r.*

### XXV.

Cum Casus fortuiti nulla prudentia humana præcaveri vel averti possint *l. 6. C. de Pign. Act. l. 1. §. 14. ff. de O. & A. l. 18. pr. ff. Commod. l. 52. §. 3. ff. pro soc. l. 41. ff. locat. nemi-  
mini imputari debent, nam vis divina iis inesse existimatur. *l. 24. §. 4. ff. de damn. infect.* cui humana infirmitas resistere nequit, ut ait Cajus in *l. 1. §. 4. ff. de O. & A. it. l. 15. §. 2. ff. loc. cond.* Modò Mandatarius specialiter non promisit, quòd eos etiam præstare velit. Tunc enim non est dubium eum teneri. *l. 8. §. f. ff. h. l. II. l. 13. l. 16. l. 21. Cod. eod.* Obiter hic illud addo, Mandatarium tempore belli in loca manifestò periculosa missum, rectè recuperationem à Mandante petere pretii rerum suarum, quarum in negotii istius gestione jacturam fecit. Quod æquum est, quia damnum istud propter ipsum negotium mandatarij ipsi obigit. Hahn. *d. l. n. 10.* Mozz. *Tr. de Contr. tit. de natur. mand. n. 24.* Struy. *h. r. n. 12.**

### XXVI.

Susceptò mandatò atq; assensu contrahentium super eo utrinque exposito, statim mutua inter eos oritur obligatio. Quoad Mandantem quidem, ut Mandatarium indemnem

demnem fervet, ne damnum ex officio suo sentiat *l. 14. l. 15. ff. b.* Quoad Mandatarium verò, ut susceptum Mandatum secundum formam præscriptam ita exsequatur, ne fines Mandati excedat *l. 4. l. 5. l. 22. §. f. ff. b. r. l. 12. C. b.* Cui sententiæ subscripsit Wesenbec. *Paravit. h. r. n. 8.* Sed eam in dubium vocavit Hahn. ad eundem d. l. quando dicit: Mandato planè non convenit, ut statim uterque obligetur, sed alter ex postfacto & accidenti.

### XXVII.

Ad persequendum id, quod alter alteri propter Mandatum debet, certæ introductæ sunt Actiones, quarum altera vocatur Directa; altera Contraria *l. 12. §. 7. ff. b. r. §. 2. Inst. de pen. rem. litig. l. 46. §. 5. ff. de Procur. De Directa hoc notandum imprimis, quod quando contra plures instituenda venit, quibus aliquod negotium gerendum demandatum est, singuli quidem in solidum obligentur, unius tamen solutione, reliqui liberentur. *l. creditor. 60. §. duobus 2. ff. b.**

### XXVIII.

Quamvis autem fines Mandati exactissimè sint observandi, & ubi illi supergressi sunt, nulla actio detur, media tamen sine quibus Mandatum commodè expediti nequit, commissæ simul videntur, etiamsi adeò expressè & clarè in Mandato commemorata non fuerint, *arg. l. 62. ff. de procur. l. 2. ff. de iurisd. l. f. ff. de off. ejus. cui mand. est iurisd. l. 5. §. 13. ff. de instr. act. Wesenb. in paravit. ff. b. r. n. 6.* Unde Mandatum habens ad vendendum, videtur etiam illud habere ad pretium recipiendum, *arg. l. 35. ff. de solut. Treutler. Di. p. 27. thes. 7. lit. F.* ibique Bachov. Sed hæc saltem in privatis negotiis procedunt: in publicis verò causis, puta legationibus, per alia media negotium con-

ficerè, & à Mandati præscripto & formula recedere, con-  
sultum non est. Ludw. *Exerc. XIV. th. 4. lit. b.*

X X I X.

Ex jam dictis porrò ista quæstio resultat : Quid Ju-  
ris sit in Criminalibus & atrocioribus casibus, in quibus  
fines non adeò observari possunt, e. g. quando mandavit  
aliquis, ut alteri vulnus infligatur, Mandatarius verò pla-  
nè occidat : Aliis hìc negativa placet, ex earatione, quòd  
animus occidendi in eo nò sit repertus, *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn.  
de Sic. atq; adeò ab ordinaria pœna L. Corn. immunis cen-  
feri debeat. Aliis contra affirmativa magis, per c. fin. de ho-  
micid. in 6to. Menoch 2. arbit. jud. quæst. cent. 4. cas. 352. n. 2.  
Clar. lib. 5. qu. 89. n. 4. atqve ab horum partibus quoque,  
stat Magn. Carpzo v. *Pract. Crim. P. 1. qu. 4. n. 13. usque ad  
28. ff. Perez. in Codic. b. 1. n. 7. & alii,* Idque etiam meritò,  
quum nihil intersit, utrum quis ipse occidat, an verò cau-  
sam mortis dolo malo præbeat per Mandatum *l. 15. §. 1. ff. ad  
L. Corn. de Sicar. l. 11. §. si mand. ff. de injur. l. non ideo 5. C. de Accus.  
Wesemb. in Com. tit. ad L. Corn. de sicar. n. 13. N. O. l. 5. pr. ff. b. 1.*  
quod fines Mandati diligèter sint custodièdi, quippe quæ  
restringi debet ad Mandata Contractuum, in quibus so-  
lis ejus dispositio locum invenit. Nam in delictis quo-  
que non adeò in potestate Mandatarii est, fines Mandati  
observare vel custodire, quoniam vulnera ad mensu-  
ram infligi nequeunt, neque certæ corporis parti, quæ  
tamen sæpe vulnus lethale facit. Cæterum quoties alicui  
delicti perpetratio mandatò imposita est, etiam si effectui  
data non sit, nihilominus propter illam iniquitatem ar-  
bitrariè Mandantem puniendum esse, affirmat Dn. Car-  
pzo. d. l.*

X X X.

Vicina superiori quæstio est ista ; An tunc etiam  
Man-



Mandans ob delictum teneatur, si certò credidit, Mandatarium hoc etiam mandato non interveniente perpetraturum esse. Et dicendum, excusari quidem Mandantem à pœna homicidii Ordinaria, arbitrariè tamen esse puniendum, vid. Menoch. *arbitr. Judic. qv. l. 2. cent. 4. cas. 352. n. 13. & 14.* Quod si verò ignoraverit, vel non crediderit. Mandatarium absque Mandato occisurum esse, tenebitur semper pœna ordinaria, quia animus ac Voluntas, quæ potissimum in delictis consideratur, penes ipsum fuit. Petrus Frid. *de process. L. 3. de continent. caus. c. 16. n. 20.* Bocerus *Class. 4. Disp. 14. th. 26.* Colligitur autem iste ex iudiciis & conjecturis, e.g. si inimicitia capitalis intercesserit inter ipsum & occisum, vel minæ de occidendo, vel præparationes ad occidendum &c. add. Dn. Carpz. *Pract. Crim. P. 1. qv. 4. n. 31.*

### XXXI.

Ostendimus, Mandatarium semper præscriptæ in Mandato rationi ac modo satisfacere debere, nec ipsi licere eum transgredi, usque adeò, ut omne illud, quod ipse præter vel contra Mandatum agit, nullius efficaciam censeri debeat. *l. 14. ff. h. rit. l. 12. C. eod.* Exinde itaque pronum est colligere, quoties in aliquo Mandatarium fines egressus est, nullam ipsi Mandati actionem competere posse, licet etiam conditioni Mandantis ex ea gestione aliquid emolumenti accesserit *arg. l. 5. §. 2. h.* Hoc tamen auxilium ipsi denegari nequit, ut quoties aliquid per contractum e.g. Principali suo acquisivit, liceat illud tamdiu ipsi retinere, donec sumtus in eam rem erogatos, recuperet, ubi summam Mandatò ipsi præscriptam egressus est.

### XXXII.

Non impedit Mandatario Actionem Mandati  
Con-

Contrariam, utrum feliciter successerit negotium, nec ne,  
l. 4. C. h. t. l. 46. §. licet impendia. 6. ff. de procur. Sed nihilo-  
minus repetit sumtus bonâ fide factos l. 56. §. f. ff. h. l. 10.  
inf. ff. de Neg. Gest. si modò debitam diligentiam adhibue-  
rit. Perez. in Cod. h. t. num. 12. et Arn. Corv. in method. Enarr.  
Cod. h. t. Imò licet etiam Mandans ipse Mandatum mino-  
ribus sumtibus exequi potuisset, nihilominus omnes,  
quos erogavit Mandatarius, repetere potest. Cautum  
enim est Legibus nostris, Mandatarium, qui bona fide,  
executus est Mandatum, nullum damnum sentire debe-  
re. l. 15. l. 27. §. 4. ff. h. t.

### XXXIII.

Diximus suprâ Thesi XI. Honorarium in Mandato  
posse intervenire. Quæritur nunc, quali actione illud  
peti possit? Et licet Juris interpretes hac in parte non  
convenient, nos tamen in eam descendimus sententi-  
am, quòd extra ordinem peti possit, modo ejus nomine,  
aliquid certi Mandatario promissum fuerit. l. 6. pr. & l. 7.  
h. t. l. 17. C. eod. l. 56. §. pen. ff. h. t. vid. Dn. Hahn. *Observat.*  
ad *Wesemb.* n. 12. Perez. in C. h. t. n. 17.

### XXXIV.

Mandatum sicuti mutuo consensu & voluntate,  
contrahentium perficitur, juxta th. 8. ita quoque eorum  
contrario consensu & voluntate distrahitur, arg. l. 5. C. de  
O. & A. §. f. I. quib. mod. toll. obl. Imò etiam ad illud dissol-  
vendum sufficere potest unius saltem contrahentium de-  
claratio de ipsius in posterum neglectu. Atque ubica-  
fit à Mandante, dicitur Revocatio, ubi à Mandatario  
Renunciatio vocatur. Sicut autem istam semper oportet  
fieri re adhuc integra, & antequam Mandatarius ali-  
quid in re mandata gerere cœpit. §. 9. l. h. l. 15. ff. eod. l. 75.

ff. de

ff. de D. 1. 2. §. cum alias ipse iustus & laboris pretium  
perderet. Ita etiam hæc tum demum locum habet, ubi  
integrum jus Mandanti vel per se, vel per alium, rem ad  
lubitum explicandi reservatur. l. 22. §. ult. l. 27. §. 2. h. §. 11.  
Inst. eod. Secus enim si dicamus, Renunciatio iniqua foret.  
Excipi tamen debent iustæ causæ, v. g. adversa valetu-  
do, inimicitia capitales, inanes rei actiones, aliaqueve.  
l. 23. cum l. seqq. ff. h. t. ob quas impetratus est Mandato  
satisfacere Mandatarius, atque adeo illi renunciare co-  
actus. Nam ubi istæ adsunt, venia utriusque dignæ poni  
debet.

### XXXV.

Exstinguitur Mandatum Morte tam Mandantis  
§. 10. Inst. h. t. arg. l. 6. ff. de iuridict. l. 5. pr. ff. de cond. causa  
dat. l. 1. §. cæpisse, 3 ff. de pollice. l. 15. C. h. l. 26. l. 27. §. 3. l. 57.  
l. 58. ff. h. l. ult. ff. de solut. nisi sit tale, ut non nisi post  
mortem Mandantis Effectu potiri queat l. 12. §. f. h. t.  
quam Mandatarii. d. l. 27. §. 3. ff. h. Rationes hujus rei  
dari solent istæ (1) quia Mandatum personale est, &  
cum persona alterutrius expirat. l. 8. §. 3. de lib. leg. (2)  
quia Mandatarius suscepit Mandatum gratuito exse-  
quendum, amicitia ductus erga Mandantem, in quam  
hæres non statim succedit l. 26. pr. h. (3) quia Mandans  
ad Mandatum exsequendum singularis personæ fidem  
& industriam eligit. l. 57. h. t. l. 35. ff. pro socio. Quoties  
tamen jam ipse aliquid gessit in negotio sibi demandato,  
atque adeo non amplius res integra est, hæredi ejus in-  
cumbit illud effectui dare atque perficere arg. l. 34. §. 1.  
l. 26. pr. ff. h. t. vid. Zoes. Comment. n. 24. h. t. Frantz. h.  
t. n. 99. & seqq. Wesenbec. Paratit. ff. h. t. n. 9.

### XXXVI.

Mandatarius si post mortem Mandantis re adhuc  
C integra,

integra Mandatum exequatur, non habet Mandati  
Actionem contra hæredes ejusdem, *arg. l. 26. pr. l. 27. §. 3. ff. h. l. 15. Cod. eod. l. 19. §. 3. ff. de donat.* Quod si verò  
ignorans Mandantem decessisse, mandatum fuerit ex-  
secutus, non denegabitur ipsi actio, quia nemini justa  
& probabilis facti ignorantia damnum afferre debet,  
velut ait Imperator in §. 10. *Instit. h. t. l. 26. pr. l. 58. pr. ff. h. l. 9. pr. ff. de Jur. & fact ignor. add. Borchol. in Institut. ad d. §. 10.*

### XXXVI.

Lapsu denique temporis adjecti solvitur etiam  
Mandatum, quia id, quod ad certum tempus est con-  
cessum, eò elapsò revocatum censetur. *Zœf. Commentar. in Digest. h. t. n. 30.* Sunt & alii modi quibus finitur Man-  
datum, de quibus B. L. videre potest *Mozz. in Tractat. de Contr. cir. de Mandato col. 7. per tot.*

### XXXVII.

Atque cancellis hisce angustiis arduam hanc atque  
prolixam Mandati materiam p. t. includere volui. Mul-  
ta quidem omiſſa esse, quæ dici debebant, multa quæ  
accuratius elaboranda fuisset, quæ minus accuratè dicta  
sunt, non diffiteor. Sed cum neutrum ob temporis  
angustiam ingenii quæ tenuitatem observare potuerim,  
veniam ab æquis Lectoribus, quorum Benevolentiam  
simul exoro, facile impetraturum me confido,  
Gratias interim persolvens DEO Ter Opt.  
Max. cui omnes actiones, omnia quæ studia,  
mea, quæ par est animi devotione,  
commendo.

FINIS.

Leipzig, Diss., 1666-67




f

Sb.

Einband beschädigt

V317



0 non  
apare  
indè v  
; doli  
ximus  
steril  
fuo fa  
Huj  
er fophi  
vocu,  
8: in E  
est am  
ratio  
pwhio  
1224.  
atio, q  
s sunt  
m ceter  
ularis  
non eff  
ea, Sci  
Regu  
Fami  
m, de i  
m vint  
: Pro v  
& Min  
imus, al  
Ad Ex  
are d  
iciari  
e, qu  
tris A  
as, in  
tidis,  
na duc  
illud.  
nam d  
Baal!

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow



Red

Magenta

White

3/Color

Black



ubl.

al.

il.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

io.

ANNUENTE S. S. TRIADE

THESES

DE

# MANDATO

Indultu & Auctoritate Magnifici atqve Nobilissimi  
JCrorum Ordinis in Celeberrima Lipsiensi  
Academia.

PRÆSIDE

VIRO

*Nobilissimo atqve Consultissimo*

DN. PAULO FRANCISCO ROMANO

J. U. D.

*Patrono ac Præceptore suo atatem devenerando*

ad D. 28. Septembr.

ANNO M. DC. LXVI.

H. L. Q. C.

P. P.

AUTOR RESPONDENS

ADAMUS Schweizer

LIPSIENS.

LIPSIAE

Excudebat TIMOTHEUS RITZSCHUS.